

IOANNES SLECHTVS BOHEMVS.



Ioannes ex nobili familia Slechtorum in Bohemia natus, et omni genere uirtutum educatus est. Is cum felici ingenio esset præditus, à pueris operam literis dedit, & primis rudimentis in arce paterna Kostelecensi perceptis sese ad Pragensem Academiam contulit. In ea omni genere linguarum institutus etiam liberalibus studijs præclarā operam nauauit, atq; in ijs adeò profecit, ut nō modò cunctis Bohemis, sed etiam externis hominibus innotesceret. In primis uero Erasmus Roterodamus hūc Ioannem ob raram eruditionem dilexit, atq; ut Bohemiæ situm cum uarijs sectis describeret, petijt. Id quod Ioannes anno 1519 singulari industria præstítit, & omnia ea diligentia declarauit, ut quis præfens uix possit Boemiæ conditionem rectius cognoscere. Vnde is & patriæ & nobilitati ornamento fuit, atq; suis uirtutibus effecit, ut meritò inter Germaniæ proceres hoc loco recenseatur. Eras. lib. 14. Epist.